

Urkundenbuch zur Geschichte der mittelrheinischen Territorien (Ed. Beyer) Nr. 233

In nomine sancte et individue trinitatis. Cum scriptura omnem hominem moneat elemosinis esse peccata redimenda quia sicut aqua extinguit ignem ita elemosina extinguit peccatum et item facite elemosinam et munda erunt omnia vobis! idcirco ego Henricus comes necessarium esse huius precepti obedienciam omni christiano prospiciens tam salubri monitioni aurem obediencie fidelem accommodare disposui. Et ne inutilis esset hec et vana cogitacio! operibus adimplere curavi; Tradidi igitur sancto confessori Christi Maximino qui in suburbio urbis Treuerice requiescit quoddam beneficium in pago Eifflensi situm ad opus monachorum in cenobio dictis Maximini deo servientium quod michi ex parentibus meis Wigerico et Cvnegunda hereditario jure a dicto cenobio accessit pro remedio et absolucione eorundem parentum meorum; seniorum quoque meorum Adalberti et Everardi ecclesiam unam in villa Okyshem constitutam cum omni decimatione et XVIII mansos cum omni integritate et omnibus appendiciis suis cappellis videlicet Barwilre Noyne Aredorph et quicquid vel quicquid eo loci possessionis habere videbar tam in mancipiis, quam in edificiis terris cultis et incultis pratis pascuis, silvis aquis aquarumve decursibus Molendinis mobilibus scilicet et immobilibus exitibus et redditibus quesitis et acquirendis ut absque ullius contradictione dictam ecclesiam cum suis appendiciis iure perpetuo teneant et possideant. Ne vero hec tradicio debilis et infirma esse videatur jus patronatus et investituram de eadem ecclesia cum suis appendiciis quod a dicto cenobio s. Maximini etiam in beneficio tenui resignavi et donavi. Si vero post obitum meum vel ante eiusdem monasterii abbas! vel alia aliqua persona eandem ecclesiam in beneficium alicui dare temptaverit. In primis ipse deo omnipotenti reus existat et quod machinatur non efficiat coactusque thesaurario regis X libras auri et C talenta persolvat argenti; Familia quoque predicti loci eisdem legibus; quibus ab antiquitate vel sub parentibus meis vel etiam a me subiecta fuerat utatur nec aliis gravioribus subdi cogatur Acta est hec tradicio publice Treueris in cenobio s. Maximini astante venerabili sancte Treuerice sedis archiepiscopo eiusdem cenobii, Thietfrido abbate omnique congregatione monachorum eiusdem loci et testibus quorum hec sunt nomina Hildeboldh Eppo Gerarth Hvggo Berenger Radolth Adelharth Hvnfrit Gerolth Gvmberto Rorico Otwalach Thiedo Albericus Amalrich Wydo Gumbert Arnolth Sigebolth et aliis multis.

Anno dominicæ incarnationis DCCCCLXX indictione quarta; Et presentes litteras impressione sigilli dicti domini Egilberti s. Treueris sedis archiepiscopi feci et obtinui meis precibus insigniri.